S. … ucenus

Mwedyk Mich. Ioan. Nep. Epaminondas pro domo vitae humanae et felicitatis bono decertans.



9

EPAMINONDAS

Pro Domo

Vitæ humanæ & felicitatis Bono

DECERTANS,

S. JOANNES NEPOMUCENUS,

Metropolitanæ Ecclesiæ Pragensis

CANONICVS,

Thaumaturgus Martyr CHRISTI,

Regni Bohemiæ & Famâ periclitantium



PATRONVS,

Dum

Ad Solennem Canonizationis suæ Pompam,

ex Cathedrali Cracoviensi Basilica,

PER

Confraternitatem Literatorum sub titulo Assumptionis B. V. M.

& Ejusdem S. Patrocinio gaudentem,

ad Ecclesiam S. ADALBERTI,

in Circulo Cracoviensi, introduceretur.

Præsente Magnorum Hospitum Corona,

A

M. MICHAELE IOANNE NEPOMVCENO AWEDYK,

In Alma Universitate Cracoviensi Philosophiæ Doctore & Professore,

Devoto Cultu Panegyrico


ADORATUS.

Annô Quô

MagnVs De CæLo VenIt heros aVXILIarI. 1729

Humanæ vitæ Maximus Ille DEVS. Die 22. Septembris.

CRACOVIÆ Typis Jacobi Mátyaszkiewicz S. R. M. Typographi.


HIC ARIES ASTRIS
HIC LEO Fortis adest

CELSISSIMO
PRINCIPI,
ILLUSTRISSIMO
&
REVERENDISSIMO
DOMINO,
D. CONSTANTINO
FELICIANO
in SZANIAWY
SZANIAWSKI,
DEI & Apostolicæ Sedis gratiâ,
EPISCOPO CRACOVIENSI,
DUCI SEVERIÆ,
Universitatis Cracoviensis
CANCELLARIO
FAVENTISSIMO,
Mæcenati Amplissimo.


Eriorem EPAMINONDAM IOANNEM, *Præsuleis quòd audeã insinuare manibus; non mireris* PRINCEPS Celsissime. *Decet enim, ut quondam Ecclesiæ Pragensis*

Cathedralis Canonicus, etiam hodiè non sit sine Episcopo. Heros EPAMINONDAS, sine fortissimo in sufferenda Patriæ & Ecclesiæ mole Athlante. Pro domo vitæ humanæ & felicitatis bono quodsi decortantē protuli, Tu Ille PRINCEPS es, qui emortuam ferè animasti, & felicitate destitutā Poloniam, beatiorem reddidisti. Magnîs Orbi Vniverso clarus meritîs, quibus Rhetorum superlatio comparata, humilis existit. Fulgur purpuræ Tuæ, quod non unius Encomiastæ everberavit pupillam; Oratori timorem infert, & cùm amore publico omnium præcordijs inviscer atus sis, solis tantùm ingenijs formidandus appares. Hebescunt Oratorum acumina, Tulliani arescunt fontes; quotiès Magne PRÆSVL, pro Tua Majestate scribendus venis: dici quidem scribiq; mereris, sed augustiùs quàm dici scribiq; posses; ideò conatus eruditos simul provocas & sistis simul dulcedine & formidine imples, quia dicendorum & scribendorum de Te dulce

Illici-

cium, & simul justi silentij digitus ad labellum. Habet AGNVS Gentilitius auream lanam, ex qua nil nisi Purpuræ Togæq; fieri possunt; infensus autem Patriæ hostis, quoties hunc conspicit; toties ob fortitudinis magnitudinem & generositatem Leonem spectando, timet formidatq;, PRINCEPS Cælestiũ Astrorũ Titan signũ Arietis ascendens, ver amænius aperit mundo; Illustrissimi *honorum Soles, quoties SZANIAVIO insistunt AGNO, & ver Patriæ amænissimum; & omnigenæ felicitatis meridies semper renasci & resplendere solet; ut ex Te PRINCEPS* Celsissime *documentum, qui Majorum decora collecta tenes: & reddis majora. Ante Senatorij honoris Culmina, iam summus boni Reipublicæ Defensor habebaris, iam Patrẽ Patriæ agebas. Eò tempore Superũ faventibus gratijs datus Senator Poloniæ, quo infelicitatis monstrum, Herculem poscebat Virum; Teq; suum Liberatorem, omnium expectarunt desideria. Ruebant*

denso agmine conjurati contra Patriam Catilinæ, Mars internus externusq; Polonas vastabat oras, Vrbium domorumve tecta accensa, hostibus in Rogos ibant triumphales, à solis Incolis lachrymas, in sui extinctionem postulabant. Aurea libertas, ferreîs ligabatur compedîbus, Cives se ipsos mutuîs conficiebant vulneribûs: omnisq; dominabatur calamitas. Doloris publici spectaculum Polonia, nihil ampliùs in se habuit, præter graves miserias. Tot lassata inter Turbines, ne tota caderet; verior Athlas, humerîs illam sustentasti. Paci Bellonam amicam reddidisti, Gladios coadunasti, & Tuæ gloriæ fabricatores effecisti. Discordias æterno ferè fœdere junxisti, Majestatis reverentia, libertatis conservatio, quæ & quanta esse debeat; demonstrasti. Sed defficile est Calamô tot invenire literas, quot Tuâ Præsuleâ Cruce, hostes è Patria propulsasti, Cives conservasti, Togata sæcula reduxisti, Chalybe & ferrô ætates duras sustulisti. Ob hos Heroicos a-

ctus

ctus Cordi felicissimè nunc Regnantis Invictissimi ac Serenissimi AVGVSTI II. *adhæsisti; veriùs, quàm olim suo Alexandro Ephestio. Apud alios prodigiũ hoc esset, apud Te consvetudo ea perficere, quæ Posteri, non sine veneratione mirabuntur; nostrisq; sæculis invidebunt, quòd Te tam maximum habuerunt. Craciũ ingressus Vavellum, in majori collocatus solio; majora, imò maxima agere non cessas. Gladium Ducalem quoties in apricum producis, toties virtùs in altum elevatur: sola vitia caput attollere non audent. D. Altaria; ut meliori resplendeant metallò, aurum addis, potius totum ærrarium impendis, quô bono Ecclesiæ succurris. Excitas fundationes Novas, Antiquas suo restituis splendori, nec minùs munificentiæ Tuæ debent antiquæ, quàm novæ Alia Seminaria Te Restauratorem, alia Fundatorẽ agnoscunt; singula liberalissimam Benefactorem profitentur. Sive posteritas* Vladislaviensem *Insulam, sive Cracoviensem Tiaram respiciet*

ſpiciet: utriuſq; Te gemmam Præſulum enarrabit. Pergama Poloniæ & primū gloriæ Capitoliū Arx Cracovienſis, quòd ex ſuis ruderibus aſſurgat, & ut Phænix renaſcatur, Tibi debet. Totus Orbis Sarmaticus, cùm Te lucidiſſimum ſuum habeat ſydus & indefeſſum Athlantē; Patronum IOANNEM, *quem ſua ſydera cingunt, quem* EPAMINONDAM *dixi, intra Præſuleos admitte poſtes; Gratia* IOANNES, *Cæleſtes conciliabit favores, & ut magnis meritis* Celſitudinis Veſtræ, *quantotius Eminentiſſimos evincat honores in Decus & Præſidium Patriæ, minimus Clientum vovet.*

ILLVSTRISSIMÆ
Celſitudinis Veſtræ.

M. MICHAEL AWEDYK, Philoſoph: Doctor & Profeſſor.



ORATIO.



Enerandum humanæ felicitatis opus, adeò infaustis rerum vicibûs oppositum agitatur, ut gravem sui patiatur pressuram. AA. Cadunt susq; deq; malesani fatorum ictus humanam felicitatem depravare an deprimere volentes, assurgunt decumanæ bellorum clades, & solos nonnisi nobis ferunt gemitus, vixquè aliquando post lachrymarum imbrem serenum fortunæ intuemur. Numeramus dies, sed singultuum & lacrymarum plenos, horas mensuramus, sed mensurâ infortunij excedentes. Nullus est, quem stagnanti doloris publici Oceano, pudeat guttas lachrymarum adjecisse.

 cisse.

ciſſe. Plurimos quidem Heroum veneramur Filios, ſed non Heroes. Rarus aut nullus Agamemnon, qui Martiali percitus Entheo, humanam felicitatem tueatur. Rarus Magnanimus Ajax, qui impenetrabiles telô & retundendis impetibus pares opponat Clypeos, ut Patrijs Penatibus fortunam ominetur meliorem. Abeſt bellô innutritus Achilles, à quo non unus humanæ felicitati inimicus Telephus, in acie profligetur. Graſſatur per hominum ſortes freni penè neſcius furor, & ampliora adusq; ſumit incrementa. Nec aliam ob cauſam toties egeſtatem publicam deploramus, niſi quòd parem ad pericula animum inter tot millia requirimus, cui aut læſa, aut ſpoliata, aut ſemianimis felicitas noſtra innitatur. A primo vitæ noſtræ exortu mortales felicitate deſtituti, & adusquè nil diu felix ſtetit. Cadunt Vrbiũ culmina, ſtrages hominũ urgent; fata omnia manẽt. Tempus rarum aut nullũ eſt, quod luctibus ac gravibus calamitatibus non miſceatur. Cælum à tot ſæculis terrenæ

addi-

addictum necessitati, adeò plerumq; aversum, ut cum cætera affatim nobis tribuat, solam Magnorum Virorum caritatem facit, sine quibus etiam gemmea felicitas ludibrium fortunæ. Expectamus summo votorum anhelitu quòd Mæstum Sol hodiè caput, cras lætum roseo promet ab æquore, sed desideria quomodò fallantur? luctus gemitusq; testes. Bofluunt nobis, sed solîs lachrymis anni; percurrunt horæ, sed animatam ut plurimùm trahunt infelicitatem, imo genus humanum adeò undiq; opprimitur, ut fermè fatalem sui experiatur periodum. Si gladium contra hostiles evaginare desideramus cervices, umbram gladij timemus. Si bella, movere intendimus, imbelles quia sine Heroibus fugimus dissipamur. Alto lachrymarum immergimur mortales, subsidium nullum est, quo beatas felicitatis nostræ pergamus ad insulas. Fortunæ latices copiosîs manãtes undîs nos undiq; latent, & quæ superfuso tumuere nectare ripæ, suo nos non solantur reditu. Ipsi montes quorum cacumina

vix Cæleſtes non tangunt Sphæras, quoties luctus gemituſq; noſtros introſpiciunt, toties propter doloris magnitudinem ingemiſcunt. Mare murmuranti fluctuum undâ noſtræ indolet calamitati, quòd inter tot adverſæ ſortis poſiti turbines nullum habeamus, qui aut nobis conſulat, aut pro noſtra integritate bella gerat. Deſunt Scævolæ, pro ſiniſtris Patriæ rebus ambuſtam non formidantes referre dexteram. Deſunt Curtij, qui abyſſum hiantis non horrerent ſoli, ut in ſolido humana felicitas ſtet fundamento. Sed quid miſeri ingemiſcimus mortales? quid nobis lacrymæ gemini fluminis inſtar eunt? dum adeſt pro bono humanæ felicitatis decertans Sanctus IOANNES NEPOMVCENVS. Quem erga Superos amor, pro domo vitæ humanæ zelus, veritatis Protothypon, Heroem demonſtrant univerſis. Ergo tot illuſtrem factis EPAMINONDAM pro domo vitæ humanæ & felicitatis bono decertantem ad Solennem Introductionis ſuæ Pompam S. IOANNEM NEPOMV-

CENVM

CENVM brevi dictionis Cothurnô, demonſtrabo.

In laudes Tuas minus cultæ prorumpenti ſvadæ, ſi fulgur Tuum ita te penitus eripit, ut dici inconceſſus maneas, ſub nube ſaltim virtutum tuarum, Te venerari permitte, quando & Phæbus ſub Nube, aut in Iride ſua cerni non renuit, & Numina videri inconceſſa, ex flamine cortinaq; ſua ſe veſtigari permittunt. Patebit facilior à longè reverentia & veniæ locus, modò ampliſsimum benevolæ attentionis non denegate campum.

NEPOMVCENÆ laudi condignæ antequam occurrent Apotheoſes, Epaminondas nobis priùs inveſtigandus eſt. Inſigne quippè ſæculorum decus, Gentis Thebanæ gloria, Martis cultor, & totus Mavortius Heros, adeò humanæ addictus fuerat neceſſitati, ut pro illius integritate par bella gerere, & ſemper reſpondere paratus. Vixit quidem, ſed non ſibi, nam vitâ ſuâ emortuam Thebanorum felicita-

tem animavit, ut generosæ mentis Heros nuncuparetur. Morum gravitatem & fermè Divinum robur innata sibi habendo, adeò illis hostilibus terrorem incutebat catervis; ut etsi ipsi Iovi rebelles Encelados, trepidasset. Prudens in quævis ejus animus, non tantùm corda Civium, sed & adversos sibi duxit in triumphum. Fulgorē gladij quoties spectatori exposuit oculo, toties inimicum hostem; aut vicit, aut sibi in spolium duxit. A tenera sua Iuventa, nil non bonum, nil non secundum gessit. Summus literarum amator, quia maximus illarum Cultor; librorum folijs incumbebat, ne in oblivione decumbat. Verbô quid quid egit, id omne in Victimam Thebanorum cessit felicitati. Ast siccinè solæ Thebæ tanto gaudebunt Heroe? Siccine Orbi ad invidiam tanta felicitate fruentur? minimè: adest nobis Sanctior EPAMINONDAS, ad Solennem Canonizationis suæ triumphum S. IOANNES NEPOMVCENVS, qui innumeris stipatus virtutibûs, Heroicum in se demonstrat animum. Sumit

primū

primum vitæ ſuæ exordium in oppido Pomuk NEPOMVCENVS, ut labenti felicitati humanæ, proprium non deneget auxilium. Vix Materno prodijt ab utero, protinus grandævos ſui Parentes, in mille rapiendo ſolatia; totam domum ob luminis magnitudinem, & ſummæ lætitiæ copiam: in donum felicitatis tranſmutavit. Exuberant majores in plauſus domeſtici Penates, quòd Illum intra ſe complectanur, qui vix fermè natus, jam Cæleſtibus adornatus triumphis. Vix publicum aſpexit Solem, & jam omnium oculos in ſui ſtuporem rapuit. Sacro inſignitur Baptiſmate, ubi tantùm animi aſſumpſit robur, ut infans licet, Herculem tamen non timeret Virum. Videre erat qua cum lætitia S. IOANNIS PARENTES amænam explicuere frontem, ſed non ſine profuſo lachrymarum fonte. Inimica nempè vitæ humanæ Neməſis, à Baptiſmalibus redeunti lymphis NEPOMVCENO, tantos ſtruebat dolos; ut de ejus cunis, nil niſi fatale feretrum edolare moliretur. Sed ergone naſcentur

medijs gaudijs luctus? Ergone in Neonatum Infantem tempestiva fluent fata periculis? minime: adest Fons vivus Sanctissima Virgo MARIA, quæ fatali langvorum æstu adustum EPAMINONDAM, saluberrimis gratiarum suarum refocillat undis. In longa cum fatis lucta, adeò Sanctior Heros adjutus, ut de illis victricem palmam reportasset. Penes Aciem Castrorum ordinatam MARIAM, nunquam non magnanimus EPAMINONDAS videndus, ab illa omnem derivavit armaturam, de qua in præsidium vitæ humanæ mille clypei pendent. Infans erat IOANNES, & nil Infantile habuit præter annos. In cunis & jam eorum ambitu non poterat teneri, major se ipso fuit; ob Virtutum, amplitudinem, par ei nulla erat Macedonia. Quidquid gessit, maturè gessit, ostendit in parvo corpore, magnam latere virtutem. Fæcunda Parens Lucina, cùm Sanctiorem Infantem, in favorabili educavit sinu, EPAMINONDAM non IOANNEM proclamavit. Ex infantilibus evolutus cunis,

vix ſerpere per terræ declivia novit, jam ſerta merebatur. Vix verba proferre ſciebat, & jam oracula dabat. Poſt tyrocinia S. vitæ, ut eò meliùs & commodiùs ſuas exerceret vires; DEO Sacratas indies viſitat œdes: ubi Miſſæ Sacrificio miniſtrando, illum demonſtravit animum, qui viros decet. Progreditur ex domeſticis laribus ad ſcholaſticum Solem NEPOMVCENVS, ſub quo non ad florem tantùm, ſed ad maturitatem excoctus; prudentiæ ſublimitatem, judicij acumen, conſilij gravitatem, & alia innumera EPAMINONDÆ conſecutus ornamenta. Ivit fauſto pede per Grammaticos caſus in bicollē Parnaſſi verticem, ubi Phæbo Muſiſq; Sacrata pectora, adeò ſibi duxit in triumphū; ut ipſa Ars, ſi Appollinem ſui non noſſet Inventorem; certè Eum Authorem prædicaſſet. Perplexa difficultatum Arcana & implicati Parnaſſij montis receſſus, capaciſſimo NEPOMVCENI ingenio patuere; Caſtallij Fontes, ubi IOANNEM adverterunt, Cyllenium ſui veneratæ. Sed

inter Parnassios Colles, non diu moratur NEPOMVCENVS; non in montibus solum, verùm ubiq; locorum EPAMINONDAS. Petit Tulliana tempe, ex quibus legit victrices palmas; quibus vitam hominum exornaret. Videre erat, quanta cum amænitate Oratorij in applausum surgebant flosculi, videre: quomodò Tulliani fontes, spumanti lætitiam insonabant procella. Totus laurearum ferax campus, Heroi NEPOMVCENO in spolium cessit. Ad facundiam Ejus, Oraculũ quia Parens Oratorum conticuit Tullius, ad melleum oris eloquium, disertiores Hortensij stupuere. Brevi amænissima linqvens Ciceronis flumina, abyssales Aristotelici Eurippi irruit vortices, ubi nunquam naufragium passus: ad optatam Philosophicæ scientiæ Insulam, non sine triumphali pompa enatavit. Acutæ spinæ Logicales, multos quidem pungere solent; NEPOMVCENO ad placitum venere: quas Ille ingenij acumine exsuperavit. Summi Magistri seduliq; Professores, ad hoc tantùm IOANNI

NI neceſſarij fuere, ut eruditionem ingeniumq; ſtuperent. Verbô in tantum S. Epaminondas NEPOMVCENVS adoleverat, ut animi Celſitudinem, prudentiæ vigorem, agendi dexteritatem, aliaſq; clariſſimas dotes, quarum alij prima tyrocinia auſpicantur; inde Ille conſumatas extulerit, nec jam amplius probari depoſcebat, ſed approbari. Emicabat in Eo ardens ad præclara quæquæ animus, fervebat in pectore, pridem incenſus honeſti amor; nec jam diſciplinam in Eo virtus, ſed perfectionem & teſtimonia habebat. Poſt Luteciânam Palladem, ampliora ſcientiarum arcana, ut eò meliùs ſcrutaretur NEPOMVCENVS, Pragenſe petit Athæneum, ne ſolæ Thebæ ſui olim EPAMINONDÆ Heroica jactent facinora. Studijs Philoſophicîs exactîs, Thelogicîs incumbit, quibus tanta cum animi ſedulitate invigilavit, ut Diſcipulum agens, par Magiſtris fuerit. Nulli dabantur receſsus, quos non penetraſset aviditate ſciendi. Academico Pragenſi, luco, propriô ingeniô in-

tulit lucem. Lauream poſt binam Philoſophicam, tertiam in Iure Sacriſq; Canonibus recipere decuit IOANNEM ut cui Cæleſtes triumphi abeunt in trophæa, etiam laurus rotarentur in coronas. Sed ternîs redimitus adoreîs parum illas cenſuit valere, ſine Myſtarum areola: hac ornatus, nihil non Sanctum geſſit, nihil non Cælô dignum æmulatus. In ore roſeo, niveus regnabat pudor, & quæ alij diviſa habuere, S. EPAMINONDAS IOANNES collecta tenuit. In ſacras provocatus Exedras, illum Oratorem agebat, ex cujus ore non verba ſed oracula profluebant. Attollebat vocem in munere concinatorio NEPOMVCENVS, ſed ipſos gravi ſomno ſopitos Morphæos, in virtutũ excitabat amorem. Vnus Pericles verba jaciebat olìm fulminis inſtar; S. IOANNES NEPOMVCENVS, ita omne malum domabat, ne caput ſuum amplius ſuſtuliſſet. Quidquid dici poteſt, de Heròé Thebanorũ EPAMINONDA, id totum de NEPOMVCENO dicendum. Vixit S. EPAMINONDAS,

DAS sed continuò librorum incumbendo foliis, non sibi sed humanæ vixit felicitati. Fervebat in Eo erga supremũ Cæli *Rectorem* Pietas, Zelus Divini per Illum augmentabatur honoris; imò NEPOMVCENVS nihil cogitavit, quod bono vitæ humanæ non prodesset. Carebat suo Protectore Bohemia, carebat Defensore periclitans fama, & hucusq; caruisset; si illis præsto S. EPAMINONDAS non adesset NEPOMVCENVS. Advertit tantã mentis animiq; generositatem in IOANNE Archipræsuleus oculus, vidit erga *Superos* pietatem, & S. *Epaminondam NEPOMVCENVM*, Canonicũ Cathedralis Ecclesiæ nuncupavit. Benè fecisti Illustrissime ARCHIPÆSUL, quòd IOANNEM Canonicũ fecisti, qui antequàm Canonicũ agebat priùs Canon virtutum erat. Canonicalis honor, gradus non meta IOANNI. Offertur Illi Lytorimiensis Tiara, Visogrodensis Præpositura, utramq; recusat. Sacris innixus virtutibus, Pontificali fulciri renuit pedo, à Tiara removet caput, ne tantâ onu-

ſtus mole tardus fieret humanæ ſuccurrere felicitati. Honores quos VENCESLAI liberalitas ſua contulit Authoritate; NEPOMVCENVS innatâ modeſtiâ reſignavit, & maluit ſubeſſe, quàm præeſſe; mereri eos intẽtus, non habere. Sed ne Imperatori obedire non videatur, Cæſareũ conſcendit ſuggeſtum, ubi virtutes ſui Defenſorem, vitia Domitorẽ adverterunt. In egenos Trajano liberalior: millenos cooperiebat Iros, ut Superis placeret Sanctior EPAMINONDAS. Placuit, & ad mentem venit Imperatrici IOANNÆ; & qui nihil unquã dignũ pænitentiã egit, debebat agere pænitentiarium IOANNÆ, cujus arcana oris & cordis quæ ſub ſigillum confeſſionis acceptabat, Cælo efficiebat acceptanda: ſoli VENCESLAO diſplicere viſa, quia ſecreta. Nimiùm curioſus, ſcire voluit, quæ ipſum non concernebant ſcire. Age & aude VENCESLAE, rerum deſideras inveſtigare Arcana? Heros IOANNES Tuam non timet ferociam, famæ bonæ Defenſor cùm maneat; ſigillum non

revela-

revelabit confeſſionis. Audite de VEN-CESLAO plura qui minora audiſtis, impendit omnem curam, ut in ſuam curiam S. provocatum EPAMINONDAM, propria devincat petitione. Appromittit ſublimia honorum Cacumina, verùm IOANNES conſervare ſigillum Cõfeſſionis; maximũ honorem autumavit. Eluſus opinione ſua Cæſar, diſſimulat parumper ſuum propoſitum, in S. EPAMINONDAM arma paraturus. Animi ſui Orexim, ut affatìm ſatiatam habeat, malè dapes ſubordinantis culinæ Miniſtri, innocentem præmit Cruorem; ut fercula ſuo non arridentia Palato: ab humano ſangvine guſtet ſvaviora. Stupet tantam Cæſaris tyrannidem totius Regni populus, & nullus eſt cujus intima timor non penetret; crudelitas inſolita terrorem infert, omnes incolæ ob doloris magnitudinem ingemiſcunt, Hærodi Tyrannidem diſſvadebat IOANNES Baptiſta, Venceſlaum unus è cunctis noſter adit NEPOMVCENVS, & pro domo humanæ felicitatis decertat.

Dissvadet mentis animique ferociam, demonstrat turpe esse, ubi ipsi in corona adamantes, non proprio nitore verùm humano fulgent sangvine. Erubescit purpura si effrontis sceleris lacertos palliat, imò si venusto virtutis non pingatur colore, certè evanescit. Pretiosi valoris gemmæ, onerant non ornant, & suos faciunt gemere Possessores; quoties rore cruoris innocui irrigantur. Exponit VENCESLAO pericula vitæ IOANNES, & tremendum DEI illi prædicando judicium, sperare jubet ultionem. Acquiescitne persvasioni IOANNIS Cæsar? minime: Audite insolitam rabiem, assurgit iracundiæ inflammatus ardore, EPAMINONDAS IOANNES ut profundo intrudatur carceri: seriò demandat. Gaudet, exultat NEPOMVCENVS, quòd angusto licet inclusus carceri; augustum tamen pro humana felicitate decertandi, adinvenerit campũ. Nempè: ex obscuro carceris, serenabat hominũ mærores: tenebrosusq; carcer, Ipsi fuit Regia solis. Redditus pristinæ Imperator

tor menti, malum ſui conſiderando opus; NEPOMVCENVM ad ſuam invitat menſam, ut exquiſitîs dapibûs, Heroē valeat placare IOANNEM. Siccinè jam D. EPAMINONDA VENCESLAI invitationi parebis? ſiccine hujus adibis Regiam, qui Regis Regum mandata vilipendet? nonne ſcis, fæcundi calices quem non fecere diſertum, time ne ſecretum reveles confeſſionis; ignoraſne, inter denſa Phalerni pocula non unum ſubmerſum Heroem? time ne in ſimilia cadas. Si blando VENCESLAI affidis ſermoni, illius fronti ne crede etſi ſerenæ. Deſerit clauſtrales tenebras, in lucem Cæſareæ progreditur aulæ IOANNES, aſſidet menſæ. Offert innumera Cæſar NEPOMVCENO fercula, propinat ad tempus liberales pateras, ut illi ſigillum pateat Confeſſionis. Poſt longa tandem convivij lenocinia, omnem ſibi ominatur proſperitatem, ad votaq; ſua putat inflectendum eſſe IOANNEM. Redit ad incæptum opus, & à Divinore EPAMINONDA Revelationem ſe-

 creti

creti inquirendo, ſuam iterum atq; iterum renovat petitionem. Sed quid eſt VENCESLAE? ſi periclitantem Imperatricis IOANNÆ famam à *NEPOMVCENO* requiris, non tuum eſt arcana cordium noſſe; ſecretum Confeſſionis inveſtigare non tuum: ſi Invictiſſimus es, tuas priùs vincas paſsiones, fortior utiq; eſt qui ſe, quàm qui fortiſsima vincit. Spe ſuâ eluſus Imperator, mollibus verbis adſtruit minas, quas EPAMINONDAS *IOANNES* minimè pertimeſcit, ſtat immotus, Heroē ejus animū inter adverſa conſtantem, inter diverſos Imperatoris ſermones, ſemper unanimem omnes agnoſcunt venerantur. Nec verberib9, nec mollibûs *NEPOMVCENVM* emolliens verbîs, attendite quid veſanus machinatur furor. Profert ſeverum in S. EPAMINONDAM edictum, ut per cruciatus ad revelandam Confeſsionē inflectatur. O ferocem VENCESLAI atrociam! Illum evanido conatu ad vota ſua velle inflectere qui in Sancto propoſito, fortior marpeſia rupe. Moven-

tur

tur ad tormentorum motum S. EPAMINONDÆ membra, Heroicus tamèn animus ad requisitionem VENCESLAI non movetur. Aduritur ignibus innocens corpus ejus, sed magìs ad Divina fervescit. Concitatur summo contra Sanctiorem EPAMINONDAM fervore Cæsar, stridet, pallet, animo mente insanus, fluctuans; ad Moldavæ fluctus, jubet præcipitare IOANNEM. Factum est quod dixi: pessimum mandatum, mali ac impij expediunt Satellites; IOANNEM nocturnîs præsentibus umbrîs, in undis demergunt. In mille gaudia assurgit Cæsar, quòd EPAMINONDAM *IOANNEM* debellavit, sed quid est Imperator? si *IOANNEM* noctu in flumina præcipitasti, Sydera malitiæ tuæ testes: ipsa saxa repercussîs in te vociferant aquîs, populumq; vocant; ut tantum facinus, stupeant universi. Gaudia, quæ olìm ad necem *IOANNIS* concipiebat, tristi posthac immiscuit mærori: dùm Cælestibûs flammîs undiq; Sanctiorē EPAMINONDAM videt ad-

ornatum. Præbent vivum de *NEPOMVCENO* documentum tot tantiq; miraculorum ſplendores, divulgat *IOANNEM* veriorem EPAMINONDAM Vitæ Sanctimonia, ipſæquè Virtutes Elogiorum Ejus extant Oratores. Dicite vos, qui toties infamiæ periculū evaſiſtis, quis nam vobis ſuô favit auxiliô, ſi non NEPOMVCENVS. Loquamini muti, quis, vos diſertiores fecit, ſi non *IOANNES*. Agite oculatos gloriæ Ejus teſtes, olìm exoculati Tyreſiæ; qui hujus S. EPAMINONDÆ patrocinante gratia, lumen oculorum adiviſtis. Clauſerunt multi in æternum lumina noctem; *NEPOMVCENVS* vitam pluribus reſtituendo, lumine Cæleſti plenus, felicitate omnigena eos illuſtravit.

Ergo aſſurge in ſpes meliores Orbis univerſe, in gaudia ſolatiaq; mille aſſurge, dùm Tibi Sanctiſſimus Pontifex BENEDICTVS XIII. omni benedictione plenus, S. EPAMINONDAM, Divorum cathalogo adſcriptum, proponit venerandū.

Ru-

Ruant in Te inimicæ ſortes, *NEPOMUCENUS* illas infeliciores tranſmutabit, aſſurgant ſexcenta pericula, *JOANNES* fortunatos efficiet Succeſſus. Martyr Diviniſſime, Te EPAMINONDAM pro domo humanæ felicitatis decertantem, hactenus imbellis Oratoris animus veneratus; ſub ingenti laudum virtutumq; Tuarũ apotheoſi: penitus obmuteſcit. Quotquot tamen Tuam protectionem implorant, fac omnes benedictionibûs gratijsq; plenos. Auguſtiſſima Domus Auſtriaca, ut ſub Tuo Patrocinio, Auguſtos experiatur Succeſſus, demiſſa cum veneratione expoſcit. *Invictiſſimo* AUGUSTO II. feliciſſimo Poloniarum Regi, illud Patrocinium præbeas, ſub quo immarceſcibiles pacis oleæ floreſcant. Ales Sarmatica, ut omnigenæ felicitatis nobis Miniſtra fiat, Tu Sanctior effice EPAMINONDA. Pretioſæ Vavelli Coronarum gemmæ, ut altis uniantur honoribus, Tu gemma Doctorum Martyr Diviniſſime faveas. Maxima honoris Tui promotrix, Confraternitas Literatorum, quæ ſub MARIÆ

pridem cesſit Patrocinium, ut etiam à Te Literatorum Præſidio protegatur, expoſtulat. Laurus Academicæ, ut nunquam marceſcere videantur, Tu aquâ non Sanguine Martyr, copioſo gratiarum Tuarū eas conſperge fonte. Craciæ Turres, quæ Tibi ingredienti, ſuos reſerarunt poſtes; à Te Decus Tutamenq; petunt. Ad extremum, omnes devotô cultû Tuo militantes honori, Summa Tui ut protegantur gratia, ſupplici efflagitant voto: ſicq; Te EPAMINONDAM, pro domo vitæ humanæ & felicitatis Bono decertantem proclamabunt, qualem ego

D I X I.



